



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Ora pro nobis Dominum &c. tit. 218

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

nes orationes de sanctis reducuntur, vt sint nostri  
comprecatores, &c.

ORA PRO NOBIS DO-  
minum, *Iudith 8.*

TITVLVS CCXVIII.



**I**DE S Catholica est, quod sancti in hac  
& post hanc vitam orent pro commem-  
bris suis, i. Cori. 12. Dominum Deum in  
caelis, & quod Deus etiam exaudit illo-  
rum preces pro nobis. Sic orat Moyses  
pro populo, ne Deus puniat pestilentia, & exauditur  
Num. 14. Orauit Dauid, & cessauit pestilentia, 2. Reg.  
24. orat Ecclesia pro Petro, & liberatur e carcere, Act.  
12. Orat Paulus in naufragio, & fit tranquillitas, Act.  
27. Sic committit populus se orationi Iudith, dicens: *Iudith. 8.*  
ORA pro nobis Dominum quoniam mulier fan-  
ctas, &cæt.

Subindè sanctos iam apud Deum orare pro nobis,  
credit Ecclesia, ex 2. lib. Machabæorum capit. vltimo,  
vbi Deus reuelauit Iudæ Machabæo, quod vidit O-  
niam & Hieremiam orantem pro populo, & illi iam-  
dudum erant mortui. Sic Jeremi. 13. dicitur quod  
Deus illi dixit: Si Moyses & Samuel orauerint p hoc  
populo obstinato, &cæt. Sic prophetæ Zachariæ osten-  
ditur à Deo, quomodo angelus orat pro Hierusalem  
& vrbibus Iuda, supra quas Deus iratus fuit, & cha-  
ritas ex qua hîc orârunt Dominum pro nobis, non-  
dùm excidit, i. Cori. 13. Et mors nondùm eos separa-  
uit à corpore mystico, id est, à nobis. i. Corinthio. 10.  
Zachariæ 1.

Postremò, non adoramus sanctos, aut angelos, aut  
aliquam creaturam, sed solum Deum, Matt. 4. Deut.  
6 qui est creator, redemptor, omnium bonorum da-  
tor. In sanctis Deum laudamus, Galatas 1. Et fan-  
ctos propter Dominum CHRISTVM, qui eos sancti-  
ficauit,

ficavit, &cæt. Hæc fides Catholica: Solus Deus adoratur sicut docet Christus Matthæ . 4. Dominum Deum tuum adorabis &cæt. Ergò omne illud quod non est Deus, non adoratur: Sed nullus sanctorum est Deus noster, ergò non adoramus. Insuper Christus docuit orare Matthæ . 6. vt sanctificetur nomen Dei, prædicentur & laudentur dona & beneficia Dei: quando ergò honoramus illius donum, id est, sanctitatem quam cõcessit sanctis, ad Deum potius honor profertur, quã ad Dei creaturã, id est, sanctos.

Secundò, propter hanc fidem, quam ad B. virginem & omnes Christi sanctos habemus, Ecclesia multas persecutiones perpessa est à Iudæis, Hæreticis, & Gentibus paganis. vt scribit Euseb. libr. 8. cap. 6. Ecclesiast. historia. exhumârunt enim corpora martyrum, & combusserunt, dicentes: Nè Christiani faciãt nostros seruos (id est, Christianos) Deos, & adorent. Sic libr. 4. cap. 15. corpus Polycarpi combusserunt Christiani pro Christo colant, & adorent. At nos non vt Dominos, sed vt testes vneramur fidei: Iudæi, vt Nigromanticos, professores fidei Christi censuerunt, & Magicæ arti tribuerunt eorum miracula, & constantiam fidei, qua pertulerunt mortem. Ideò plurimum deriserunt Christianos venerantes sanctos, vt fidei nostræ etiam sanguine suo testes, dicentes, quia nigromantica sculptilia adoremus: sed patienter tulerunt Christiani, & hanc persecutionem pensantes, quòd Christus dixit: Si me persecuti sunt, si dixerunt me habere sathanam, & vos persecuentur Iudæi & Gentes, Ioan. 15. Hæretici multò amarioris fuerunt Christianis ab initio Ecclesiæ, iam illorum imagines, iam memoriam, iam venerationem taxantes, imponendo nobis quòd committamus idololatriam per quam homines auertuntur à Christo: Secundò, quasi ipsi, non Christus suo sanguine sit intercessor, protector, remissor peccatorum, & dator salutis eter-

Et sic prosequamur hos quasi adoremus illos. &c  
 Sed patitur Ecclesia & hanc hodiè contumeliam, se  
 sustentans verbo Apostoli, 1. Cor. 13, Charitas non ex  
 cidit. Nam sic ante annos plùs mille Hierony. certa-  
 uit cum Iouiniano & Vigilantio, quærens: An iam  
 in patria sancti essent priuati donis & virtutibus spiri-  
 tualis sancti, Gal. 5, quibus in hac vita pleni fuerunt, &c.  
 Ideò tota Ecclesia Catholica cum omnibus doctori-  
 ribus sic sentit, nihil cupiens nisi adiutorium oratio-  
 nis mutuæ, &c. sicut hîc facimus mutuò.

AN DEO VEL SANCTIS  
*dies feriamur.*

TITVLVS CCXIX.

**P**RI Mò, feriari seu vacare est opus, quod  
 solus Deus præcepit, & ipse omnium pri-  
 mus seruauit. Nam in creatione & labo-  
 re omnium creaturarum, & cæli & ter-  
 ræ, requieuit die septimo, Gen. 2. & be-  
 nedixit diem illū, & sanctificauit. Sic inter præcepta  
 sua tertium est primæ tabulæ, Sabbatha sanctifices, &  
 nedum sabbatha, sed etiam præcepit. Exo. 23. dicens:  
 Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebra-  
 bitis: Azymorum, propter liberationem ex Aegypto:  
 Pærecostes, propter acceptam legem: & frugum, quia  
 dedit Deus fructus terræ, &cæt. Sic & alia habebant  
 festa plura in quibus Deo feriabantur, seu vacabant,  
 qui præcepit ferias.

Secundò, feriæ fiebant propter præceptum Dei, &  
 huc dirigebatur intentio. Attamen hisce diebus habe-  
 bant memoriam operum Dei, quæ recordabantur ip-  
 sis diebus, & Deo laudes & gratias agebant, sicut He-  
 ster & Iudith, de liberatione ex Aegypto &cæt. At fe-  
 riæ non propter Hester, Iudith, &cæt. sed propter  
 Deum fiebant, cum memoria operum Dei quæ fecit.  
 Sic nos in nouo testamento Dominicum diem, non  
 propter